



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 12. An dari possit vna ratio communis indiuiduis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

Disp. XVII. De vnitare & plural. rer. Quæst. XII. 59

sica, & quinque physica, vt in eadem quæstione monstratum est.

107 Iam prædicabile indiuiduum accidentale adiciens aliquid subiecto, aut est subiecto necessarium, quia hoc cum illo connexum est, aut est subiecto contingens, quia hoc sine illo potest esse: si necessarium; passio propria, siue proprietas subiecti erit. Si verò contingens; accidens proprium. (Hic enim non habet locum diuisio passionis, & accidentis in proprium & commune, sicut in prædicabili vniuersali, cum sermo sit de indiuiduali pluribus non communi.) Ambo autem prædicabilia hæc aut metaphysica, aut physica possunt esse: quatenus id, quod subiecto adiungitur, aut metaphysicè dumtaxat, seu per rationem nostram, aut physicè, & re ipsâ ipsi subiecto adiectum est. Quod prædicabilia indiuidua accidentalia quatuor habent sunt. Rursus verò physica, aut intrinseca, siue adherentia subiecto, aut ei extrinseca, aut mixta ex utroque esse possunt. Metaphysica autem aut adæquatè, aut inadæquatè dumtaxat ipsi subiecto identificata. Quo cuncta iam sunt decem.

108 Quorum præterea prædicabilium indiuiduum tam accidentalium, quàm essentialium pleraque alias diuisiones subire possunt penes diuersos modos prædicationis formales, vel materiales, seu identitæ, directæque, vel indirectæ. Ac demum prædicabile indiuiduum, quemadmodum prædicabile vniuersale, aut substantiale, aut accidentale, aut complexum, aut incomplexum, aut positium, aut negatiuum, aut categorematicum, aut syncategorematicum esse potest. Quas omnes diuisiones non opus est in præsentis distinctis persequi. Recognoscatur tota ea quæstio 7. citata, vbi latè sunt expostitæ in simili; vnde hæc cum proportionem transferri poterunt. Indidemque licebit etiam colligere, quomodo etiam subiectibilibus respectu eorum, quæ de ipso prædicabilia sunt, affectio quædam logica est indiuidui. Et quot præterea modis illud in quantum subiectibile possit diuidi. Sat fuerit hic prædicta attingisse, vt iterum pateat, quàm diminitutè hucusque Logici processerint in diuisione prædicabilium, atque subiectibilium. Cum tamen hæc plurimi inter sit ad ipsam logicam, sicut & ad quamlibet scientiam inter sit diuisio exacta materię eius.

QVÆSTIO XII.

An dari possit vna ratio communis indiuiduis?

109 Conueniunt omnes indiuiduis logicè, seu secundò intentionaliter sumptis vnā rationem communem dabilem esse, de factoque dari: omnia quippe indiuidua planè conspirant in hoc, quod est esse prædicabilia de vno, & subiectibilia speciei, cum enim in his accidentibus similia sint, quantumvis seorsim ab illis sint inter se diuersa, bene poterit ex concretis, quæ ex talibus accidentibus, tanquam ex formis, ex ipsisque indiuiduis physicis, tanquam ex subiectis resultant, ratio quædam vna, & communis abstrahi, siue adunari, quemadmodum ex quibusvis aliis concretis formarum inter se similiarum, quantumvis subiecta sint diuersa, abstrahitur, siue adunatur, vt ex omnibus albis, ex omnibus nigris, ex omnibus cali-

dis, &c. iuxta doctrinam vniuersalem statutam, quæstione 8.

Controuersia igitur solùm est; an possit dari vna ratio communis indiuiduis physicè, seu primò intentionaliter sumptis, in quantum indiuidua sunt. Quod addo, quia certum est ab indiuiduis absolute spectatis abstrahi rationem communem specificam genericam, &c. Omnis quippe ratio vniuersalis ab indiuiduis desumitur immediatè, aut mediatè, quandoquidem à parte rei cuncta entia sunt indiuidua, cum nullum à parte rei sit vniuersale, vt supra quæst. 5. statutum est. Sed difficultas est, an dari possit ratio communis indiuiduis vt indiuiduis, siue vt constitutis, & differentibus per differentias indiuiduales. Negant Caiet. cap. de specie, ibidemque Albertus, Sorus, Tolerus, Louanienses, & alij. Quibus subscribit Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 6. quæst. 5. sect. 4. & cap. 228. quæst. 11. sect. 3. Affirmant tamen Rub. cap. de specie, quæst. 6. Soar. disp. 5. Metaph. sect. 2. num. 18. & seqq. & disp. 6. sect. 8. num. 13. & 14. Petr. Hurtad. disp. 5. Log. sect. 7. Arriag. disp. 7. Log. sect. 4. sub. 2. & alij Recentiores communiter.

Propositio 1.

Quoties plura indiuidua in aliquâ proprietate (vltia vnitatem numericam, & distinctionem ab aliis) eorum, quæ non censentur variare speciem, sunt similia, aut æqualia, ab eis prout talem proprietatem habentibus optimè potest abstrahi ratio communis.

Sic à pluribus lineis palmaribus ratio vna lineæ palmatis, à pluribus calidis in quarto gradu ratio vna calidi vt quatuor; à pluribus actionibus eiusdem numero principij, & termini ratio vna actionis talis principij, & termini; à pluribus hominibus complexione biliosis ratio vna hominis biliosi, & à pluribus pituitosis ratio vna hominis pituitosi abstrahi potest, à cæterisque huiusmodi pauciter. Probatur facile, quia talia indiuidua quoad talem proprietatem exactè similia, & æqualia concipiuntur à nobis æquè, ac quoad rationem specificam, & genericam, quoad aliasque formalitates ipsis communes, vt ex se testante experientiâ satis apparet; aliundèque abstractâ formalitate talis proprietatis relinquitur in eis alius conceptus, quo indiuidualiter distinguantur, nimirum distinctio vniuscuiusque ab aliis, aut etiam vnitatis numerica: ergo non est vnde repugnet eiusmodi proprietatem à nobis concipi vt vnā, atque communem talibus indiuiduis, de factoque citra dubium ita concipitur. Quocirca existimo propositioni præsentis neminem posse dissentire.

Solùm potest controuersia esse, cur huiusmodi proprietates dicantur non variare speciem, itaque vt lineæ palmares specie diuersæ dicantur à lineis pedalibus, & calores vt quatuor à caloribus vt sex, & actiones eiusdem agentis, & termini ab actionibus plurium agentium, & plurium terminorum prorsus similiarum, & pituitosi hominis à biliosis, & cætera huiusmodi. Dico quia imprimis solùm reputantur communiter, dicunturque absolute loquendo specie diuersa ea, quæ rigorosè, & propriè sunt dissimilia; non item, quæ in æqualia sunt quocunque genere inæqualitatis. Vnde illud natum est vulgare proloquium; *magis, & minus non variant speciem*. Lineæ autem palmares lineis pedalibus non sunt dissimiles, sed in æquales; Similiter

militer calores vt quatuor caloribus vt sex non sunt dissimiles, sed inæquales; actiones etiam eiusdem principij, vel termini actionibus plurimum, quando omnia similia sunt, non quidem dissimiles, sed inæquales extrinsecè veniunt dicendæ. Etenim dissimilitudo, & inæqualitas, sicut similitudo, & æqualitas affectiones rerum valde inter se diuersæ sunt, vt satis constat ex dictis q. 8. & latius traditis *suprà disp. 16.* tamen interdum ab aliquibus loquentibus improprie soleant confundi. Ex quibus dissimilitudo diuersitatem, similitudo vnitatem specificam ita absolute dictam faciunt, non verò itidem inæqualitas, & æqualitas. Deinde, quia neque omnia, quæ proprie inter se sunt dissimilia, specie diuersa censentur, sed ea dumtaxat, quorum dissimilitudo notabilis, & non exigui momenti est, quæ enim parum dissimilitudinis habent ad eandem reuocantur speciem, quia parum pro nihilo reputatur, sic omnes homines eiusdem speciei censentur, cum tamen haud dubie plerique eorū aliquā inter se dissimilitudinē non solum accidentalem, sed etiam substantialem habeant. Tantumdemque uenit in leonibus, equis, & aliis speciebus animalis, in quibus saltē mares, & feminas esse inter se dissimiles substantialiter nō videtur negabile.

²¹³ Quæ cū ita sint, duplex, claritatis gratia, quod ad rem attinet distingui poterit species, quarum altera simpliciter talis dicatur, altera cum addito, nempe logica, ita quidem, vt ea solum, quæ sunt dissimilia notabiliter, simpliciter, & absolute dicantur specie differre: ea verò differre specie tantum logicā, quæ aut tantum sunt inter se inæqualia, non item dissimilia, aut valde exigua inter se dissimilitudinem habent. Quo fiet, vt species simpliciter dicta genus quoddam logicum sit comparatione specierum logicarum contentarum sub illā. Eaque dumtaxat dicentur differre solum numericè, quæ nullam inter se inæqualitatem, aut dissimilitudinem habent. De quo iterum redibit sermo q. 14.

Propositio 2.

²¹⁴ Ratio indistincti in se, siue vnus numericè vna, & communis concipi potest omnibus quibusque indiuiduis siue eiusdem, siue diuersarum specierum.

Ita Authores *suprà num. 210.* relati pro parte affirmatiuā. Et probatur. Quia in hoc, quod est esse in se indistinctum, siue vnum numericè quodvis indiuiduum concipi potest, de factoque à nobis concipitur exactè simile, aut etiam æquale cuius alteri, vt experientia manifestat. Ergo nihil est, quod veter qualibet omnino indiuidua in ratione indistincti in se numericè concipi à nobis adunata, iuxta doctrinam statutam *quæst. 8.* Et confirmari potest; quia distincta in se in ratione talium exactè similia, & æqualia, atque adeo sub vno conceptu communi adunata possunt à nobis concipi, iuxta dicendā *propos. 3.* Ergo idem est dicendum de indistinctis in se, quæ talibus; siquidem indistinctio negatio quædam est distinctionis. Et certum est negationes habituum sub vno conceptu adunabilium à nobis, sub vno itidem conceptu à nobis adunabiles esse. Et quidem cum de vnitatis, & vno in communi agimus vtrumque definientes, & diuidentes, non videtur negabile habere nos in mente obiectiuè quosdam conceptus, siue rationes vniuersales, pluribusque communes, nimirum rationem vnitatis communem omnibus vnitatibus, rationemque vnus communem omnibus vnīs. Tantumdem ergo euenire censendum procul dubio est cum de vnitatis numericæ, de vno-

que per illam constituto in communi tractamus.

Sed rogabit hic aliquis, quo differat vnitatis, quæ ponitur passio entis, ab vnitatis numericæ, in qua conueniunt indiuidua? Respondeo in eo differre, quod vnitatis passio entis conuenit entibus in quantum entia sunt, vnitatis verò numerica conuenit entibus in quantum talibus numericè, quod est conuenire illis in quantum indiuiduis. Vnde sicut ratio entis non solum indiuiduis, sed etiam speciebus, & generibus entium communis est, ita ratio vnus, quæ ponitur passio entis, non solum vnīs numericè, sed etiam vnīs specificè, genericeque communis est; cum verò ratio vnus numericè sequens entium talitates numericas solis vnīs numericè, hoc est indiuiduis entibus sit communis.

Deinde rogabit hic aliquis. An conceptus vnitatis, siue vnus numericè communis omnibus indiuiduis, & per rationem nostram vnus, & consequenter vniuersalis respectu illorum, ad aliquam vniuersalem speciem ex recensitis *suprà q. 7.* pertineat, an alia quædam pro eo illis addenda sit. Tum, quæ ratione, & per quas differentias talis conceptus ad indiuidua contrahatur? Respondeo, quod ad hæc attinet, perinde de conceptu vnitatis, siue vnus numericè, ac de conceptu distinctionis, siue distincti etiam indiuiduis communi philosophandum esse, prout explicabimus *proposition. seq.*

Propositio 3.

Ratio distincti ab alio quopiam, siue ab omnibus aliis vna, & communis concipi potest omnibus quibusque indiuiduis siue eiusdem, siue diuersarum specierum.

Ita etiam tenent Doctores pro parte affirmatiuā citati *n. 210.* Et probatur ferè vt præcedens. Quia in hoc, quod est distingui ab aliis exactè simile, & æquale cæteris concipitur à nobis quodlibet indiuiduum cum fundamento in re, non minus, quam in hoc, quod est esse ens, esse bonum, esse verum, &c. Ergo non est cur nequeamus adunare cuncta indiuidua in rationibus entis, boni, & veri. Confirmat id communis omnium existimatio, qui de distinctione sumptæ vniuersè, tanquam de conceptu vno, communique omnibus distinctionibus, atque adeo vniuersali respectu earum loquuntur, & philosophantur, eam definitione vnicā definientes, in pluraque membra diuidentes, non secus ac diuidentur alij conceptus vniuersales. Si enim ratio vna distinctionis communis omnibus distinctionibus dabilis est, nequit non esse quoque dabilis ratio vna distincti communis omnibus distinctis, qualia sunt indiuidua omnia. Quandoquidem quotiescunque formæ sub vno conceptu communi sunt adunabiles in abstracto, & in concreto tali abstracto correspondente sunt adunabiles, vt est notissimum. Constat autem distinctionem, & distinctum, non aliter, quam vt abstractum, & concretum sibi inuicem correspondentia differre.

Quod si distinctionis vniuersalissimè sumptæ, quo pacto inter passionem entis censetur cum in abstracto, cum in concreto acceptæ vna, & communis ratio datur, etiam distinctionis propriæ indiuiduorum, quæ talium acceptæ similiter haud dubie dabitur, quia vtriusque eadem, quod ad rem attinet, fortina procul dubio est. Differunt autem distinctione propriā indiuiduorum quæ talium: quia per illam non solum entia numerica, sed etiam specifica, & generica distinguuntur ab omnibus aliis. Per hanc verò tantum numerica.

Obiici

219 Obiici tamen potest primò contra propositionem. Distinctio quâ hic homo distinguitur ab aliis omnibus indiuiduis omnium specierum; & distinctio, quâ hic equus distinguitur pariter ab omnibus aliis omnium specierum indiuiduis, & cætera huiusmodi distinctiones non possunt apparere nobis exactè similes, ut potè, quæ non possunt non concipi à nobis relatè ad aggregata entium inter se dissimilia qualia sūt aggregatum omnium indiuiduorum præter hunc hominem, & aggregatum omnium indiuiduorum præter hunc equum, quæ ut minimum dissimilia euadunt ab homine in vno & ab equo in altero inclusio, & cætera eiusmodi aggregata. Igitur nec possumus tales distinctiones sub vno conceptu adunare. Nego antecedens. Ad probationem dico, aggregata indiuiduorum cæterorum, à quibus vnumquodque indiuiduum distingui concipimus, etsi re ipsâ sint inter se dissimilia, à nobis tamen similia concipi posse duobus modis. Primò si concipiamus contenta in illis non secundum rationes peculiare, secundum quas apud nos etiam sunt dissimilia, sed secundum rationem aliquam cunctis communem, qualis est ratio entis, ratio vnius, ratio distincti &c. secundum quam cuncta nobis exactè inter se similia apparent, etiam quando concipiuntur singularizata singularitate incompletâ, vti concipiuntur hoc ens, hoc vnum, hoc distinctum &c. Quo pacto prædicta aggregata exactè, quoque inter se similia apparebunt, nihilque subinde desiderabitur, quominus distinctiones quorumvis indiuiduorum relatè ad illa exactè similes appareant. Secundò aggregata dicta similia nobis apparebunt, tamen si quoad totum, quod re ipsâ sunt, concipiuntur, si concipiuntur, ut sæpius fit, confusè quidem, seu implicitè, quoad ea omnia, ex quibus coalescunt, & explicitè, seu distinctè solum quoad rationem aggregati, seu multitudinis, in quâ tanquam in quâdam formâ apud nos exactè similia, & conuenientia sunt. Quotiescumque enim formæ sunt similes concreta ex talibus formis, & ex quibusvis subiectis quantumvis inter se dissimilibus coalescentia similia apparent nobis, eo quod talia subiecta, quasi concreta talibus formis, atque adeo confusè representatis formis ipsi, explicitè implicitè repræsentantur, iuxta doctrinam commemoratam quæst. 8.

220 Quod si indiuidua diuersarum specierum in rationem distincti ab omnibus aliis coire possunt modis dictis, tamen si aggregata reliquorum, à quibus vnumquodque eorum distinctum concipitur, re ipsâ inter se sint dissimilia, multò melius indiuidua eiusdem speciei in rationem distincti ab aliis talis speciei poterunt coire, tamen si aggregata similia reliquorum, à quibus vnumquodque eorum distinctum concipitur in eo re ipsâ determinentur, quod non ex omnibus eisdem indiuiduis coalescant, aggregatum siquidem omnium hominum, à quibus distinguitur Petrus, non includit ipsum Petrum, quem tamen includit aggregatum omnium hominum, à quibus distinguitur Ioannes: & in cæteris pariter.

221 Secundò contra propositionem communiter solet opponi. Distinctio quâ vnumquodque indiuiduum distinguitur ab aliis, est id quo vltimò constituitur in ratione indiuidui, & ab aliis determinatur: ergo in huiusmodi distinctionibus non possunt conuenire indiuidua, alioquin aliæ rationes dandæ essent in illis, quibus vltimò constituerentur, & inter se differrent, procederetque in in-

Pharus Scientiarum, Tom. II.

finitum (quod est absurdum.) Quia in quibusvis datis possent eodem titulo, ac in distinctionibus dici conuenire indiuidua. Siquidem in hoc, quod est differre inuicem semper eodem titulo dici possunt conceptibilia à nobis exactè similia.

Qui non præcindunt obiectiue, faciliè ab argumentis illo se excutiant; consent enim in vniuersum rationem communem, quæcumque sit, non aliter per differentias contrahi, quàm concipiendo distinctè, & per modum plurium, atque ad id ut inter se differentia, siue diuersa eadem omnino obiecta, quæ prius concepta fuerant confusè, & per modum vnius. Esse enim omnino idem ex parte obiecti rationem communem, & differentias, solumque ex parte actus distingui penes diuersos modos quibus idem ipsum concipitur. Quo cessat infinitus processus, totaque vis argumenti facti. Cæterum; quàm falsa non præcindentium doctrina sit, satis superque in superioribus monstratum est.

Vnum nihilominus simile, quod ad rem attinet nos quoque, qui præcidentes sumus, admittimus in quodam casu, pro ut supra iam q. 8. atque etiam alibi notauimus; nempe quando aliqua plura exactè sunt inter se similia, & æqualia, bene nos adunare illa sub vno conceptu; quoad totum, quod sunt citra præcisionem à differentis, seu distinctionibus, quibus differunt, subrogato scilicet pro eis omnibus vno phantasmate in ordine ad cognoscendum totum, quod sunt. Quo casu contractio talis conceptus communis ad sua inferiora non aliter fiet, quàm concipiendo ut plura eadem, quæ concepta fuerant ut vnum; atque adeo argumentum factum vim non habebit. Verum; quia doctrina propositionis nostræ, quam ipsum impugnatur, vniuersalior est; nec de ratione communi solis indiuiduis similibus, & æqualibus, sed de ratione communi omnibus omnino indiuiduis, quantumvis inter se dissimilibus, & inæqualibus agit.

Aliter ad illud vniuersaliterque respondeo Inbens admittens, amplectensque cum P. Soar. disp. 5. Metaph. sec. 2. n. 18. & aliis processum in infinitum possibilem huiusmodi præcisionum, seu abstractionum conceptus, seu rationis communis à differentis. In præcisionibus quippe formalitatum transcendentium de facto etiam sæpe progredimur, semperque pro arbitrio cum fundamento in rebus ipsi progredi possumus sine fine, ut supra iam disp. 13. q. 10. sæpeque alibi notauimus, iterum notaturi infra q. 20. Nec vllum fert secum incommodum progressionem infinitam non quidem caregorematicè, sed tantum syncategorematicè in obiectiuis præcisionibus ab intellectu nostro factis admittere, ut egregiè dixit Soar. quandoquidem in aliis materiis necessariò debeat admitti, passimque ab omnibus admittuntur. Vide ad rem dicta, & dicenda locis citatis.

Itaque postquam intellectus noster rationem distincti communem omnibus indiuiduis abstraxit, relictis in singulis eorum talitatibus ab eâ ratione præcis, quibus inter se differant; quia quælibet rursus huiusmodi talitatum ex proprio conceptu fundamentaliter est ab aliis distincta, atque adeo fundamentum nobis præbet, ut distincta ab aliis formaliter concipiatur, rursus item in huiusmodi talitatibus, & consequenter in indiuiduis ratione ipsarum conceptus alius, seu ratio distincti communis omnibus, aliæque talitates singulorum propriæ veniunt à nobis præcindentæ. Tantumdemque in his talitatibus præstare possumus ad eandem rationem

F &

& sic deinceps sine fine. Quæ quidem omnes talitates semper sunt inter se dissimiles, & inæquales ex conceptu suo, quorū individua, quibus conveniunt dissimilia sunt, & inæqualia. Relinquitur enim in illis ab intellectu nostro tota dissimilitudo, & inæqualitas huiusmodi individuum, dum ab illis rationem adunabilem, atque communem omnibus abstrahit, quæ eo ipso non potest non in omnibus apparere omnino similis, & æqualis ut ex dictis in superioribus satis est notum. Quando verò individua omnino sunt inter se similia, & æqualia in ipsisque ratio communis à talitatibus præscinditur obiectivè, ut potest, & solet, tamen etiam citrà omnem præcisionem quoad totum, quod sunt talia individua adunari possint, ut diximus. Tunc quidem dictæ talitates non possunt non ex conceptu suo esse inter se omnino similes, & æquales, quia in individuis quibus conveniunt, nihil dissimilitudinis, aut inæqualitatis est, ut supponimus. Quocirca talitates istæ non aliter discriminabuntur vicissim, quam per distinctionem, quæ qualibet ab aliis distinguitur, conceptum videlicet singulariter citrà omnem adunationem. Quemadmodum autem de talitatibus distinctionis philosophati sumus, ita etiam de talitatibus unitatis, aliarumque quarumque rationum, quæ individuis possunt esse communes, philosophandum est. Quælibet enim ratio communis individuis talitatem sibi correspondentem ab illis præcisam potest, & solet habere, quæ immediatè contrahi, & individuari, seu singularizari concipitur, ut attendenti ad experientiam satis constabit, & ex dicendis §. 13. amplius patebit.

226 Porro quia quævis omnino talitates dissimiles inter se, aut inæquales, quales sunt semper, quæ individuis inter se dissimilibus, aut inæqualibus conveniunt, in hoc ipso, quod est esse dissimiles, aut inæquales, similes, & æquales concipi possunt, pariterque subinde similia, & æqualia individua ipsa in eo, quod est ea dissimilia, aut inæqualia esse (quidquid refrageret Arriaga *suprà* citatus) idcirco à quibusvis talitatibus inter se dissimilibus, aut inæqualibus, atque adeo inter se diversis, seu differentibus (diversa quippe, seu differentia dici solent in univèrsum tum dissimilia, tum inæqualia, tum etiam distincta, ut aliàs dictum) & consequenter ab individuis per eas constitutis ut talibus, ratio in super, seu conceptus communis, dissimilis, aut inæqualis diversique proinde, seu differentis abstrahi potest, relictis, præcisisque à tali conceptu aliis talitatibus, quibus rursus ipsa individua discriminantur, quæque itidem inter se dissimilia, aut inæqualia erunt, aptaque proinde ut ab illis ratio alia communis dissimilis, aut inæqualis abstrahi possit, relictis aliis talitatibus pariter inter se dissimilibus, aut inæqualibus, & ita deinceps sine fine. Etenim ut quævis alia extrema quantumvis inter se dissimilia, & inæqualia conveniunt in multis rationibus sibi communibus, & consequenter conceptis à nobis in eorum singulis exactè similibus, & æqualibus cum præcisione à differentiis, ubi tota ipsorum extremorum dissimilitudo, & inæqualitas cōceptione nostra relinquitur, iuxta *superius* dicta. Quo pacto cuncta conveniunt in ratione entis, boni, veri, distincti, unius &c. Ita ipsæ dissimilitudines, & inæqualitates quantumvis sunt inter se dissimiles, & inæquales, optimè possunt convenire in ratione dissimilitudinis, & inæqualitatis, atque adeo in ratione diversitatis seu differentie concepta à nobis in singulis exactè simili, & æquali cum præcisione

à differentiis. Nec est cur hoc negaverit Arriaga; si quidem non aliter de dissimilitudine, inæqualitate, diversitate in communi passim tractamus, quam de distinctione, unitate, bonitateque in communi, &c.

Ex his deducitur discrimen repertum inter talitates individuum dissimilium, aut inæqualium, & talitates individuum omnino æqualium, & similiarum. Illæ enim singulatim conceptæ non solum faciunt differre individua, atque etiam inter se differunt, quatenus sunt distincta, sed etiam quatenus sunt dissimiles, aut inæquales inter se. Quo titulo sumptæ adæquatè sub vno conceptum communem cadere nequeunt, tamen ab illis abstrahi possit conceptus communis, relictis aliis talitatibus, ut dictum est. Hæ verò singulatim conceptæ solum differre faciunt sua individua, atque etiam inter se differunt, quatenus inter se sunt distincta. Proindeque sumptæ adæquatè sub vno conceptu communi, atque adeo non singulatim concipi possunt, prout etiam in superioribus dictum est.

Iam verò, quod isti conceptus communes ab individuis abstracti modo explicato univèrsales propriè sint, ut sæpe posuimus, non est cur in dubium vertatur, quandoquidem quivis eorum unum quid est aptum inesse pluribus, atque prædicari de illis, perinde ac cætera univèrsalia. Solum est dubitabile ad quam speciem univèrsalis pertineant ex recensitis *suprà* quæst. 7. Caiet. apud Rubium citatum *suprà* censuit pro huiusmodi conceptibus aliam speciem univèrsalis, prædicabilis ponendam esse præter commemoratas *loco citato*. Ipse tamen Rub. illos reducit ad prædicabile speciei. Arriaga autem parim ad prædicabile speciei, parim ad prædicabile proprii asserit pertinere.

Ego verò assero primò contra Caiet. novam speciem univèrsalis præter eas, quas recensuimus *quæst. cit.* excogitabilem non esse pro istis conceptibus: quia omnium possibilitum facta est ibi distinctio adæquata.

Secundò assero contra Arriag. impossibile esse, ut unum, & idem prædicatum ad prædicabile essentiale, quale est prædicabile speciei, & ad prædicabile accidentale, quale est prædicabile proprii simul pertineat respectivè ad idem subiectum. Nam, vel addit aliquid *suprà* ipsum subiectum, & ita pertinet ad prædicabile accidentale, vel non addit, & ita pertinet ad essentiale. Constat autem impossibile esse, ut simul addat, & non addat.

Tertiò assero, ut discernatur ad quod univèrsale, seu prædicabile pertineat ratio communis abstracta ab individuis, considerare oportere, quid ponatur ex parte subiecti de quo ea prædicatur. Si enim ex parte subiecti ipsa ratio ponatur cum talitate, seu differentia individuali singulatim concepta ut talis, ut cum dicimus. *Hoc individuum est individuum. Hoc unum est unum. Hoc distinctum est distinctum* &c. tunc prædicatio pertinebit ad speciem, quia erit prædicatio de tota essentia communi, seu univèrsali subiecti. Si verò ex parte subiecti ponatur tota eius realitas, nullà formalitate exclusâ, ut solet poni cum dicimus. *Petrus est individuum; Ioannes est individuum* &c. tunc prædicatio spectabit ad genus, quia erit prædicatio de parte essentie communis subiecti per aliam partem contrahibili. Constat enim rationem unius, & distincti ab omnibus aliis, ex quibus ratio individui omnibus communis coalescit, per rationes hominis, animalis, viventis &c. quæ minus univèrsales sunt, & Petri enitenti conveniunt, contrahibile esse. Si autè ratio ab individuis abstracta ex parte subiecti ponatur cum aliâ ratione univèrsaliore

quam contrahat, ad prædicabile differentie spectabit. Si cum alia sibi æquali ad prædicabile anony-
mum. Si cum aliqua mixtione earum ad mixtum,
iuxta doctrinam *supra* traditam q. 7. Si denique
dicta ratio abstracta non includatur in subiecto, ac-
cidentaliter dicitur de illorūque ita vel spectabit ad
prædicabile propriū, vt si dicas: *Hoc ens est indiuiduū*,
id est *vnū*, & *distinctum ab aliis*, vel ad prædicabile
passionis communis, vt si dicas *Hic homo est in-*
diuiduū, non includendo in conceptu hominis
rationes formales vnius & distincti ab aliis, sed tan-
tū prædicata entis, substantialis, corporei, viuen-
tis, sensibilibus, rationalis. Etenim quemuis vniuersa-
lem conceptum ad varias species vniuersalis ex nu-
meratis à nobis q. 11. citatā spectare posse pro
varietate subiectorum, ad quæ comparatur, indubi-
tabile est, vt ex ibidem etiam dictis licet colligere, &
ex dicendis in sequentibus amplius contabit. Ex
quibus patet, quid veritatis, aut falsitatis habeat
quod ad præsens attinet punctum sententia Rubij.

232 Vnum ex dictis colligo, vt hæc prædicatio *Pe-*
trus est homo ad prædicabile speciei pertineat, si ex
parte subiecti, vt fieri solet, ponatur tota Petri rea-
litas cum omnibus suis formalitatibus, ex parte
quoque prædicati omnes ex se communes poni de-
bere, & quantum numero est formalitas, seu ratio indi-
uidui, ita vt subiecto talitas dumtaxat addatur,
seu differentia indiuidualis, vt talis, quæ vulgò Pe-
treitas dici solet. Alioquin si vel vnica formalitas ex
communibus inclusa in subiecto non includatur in
prædicato non erit prædicatio de tota essentia com-
muni subiecti, atque adeo neque speciei, sed de parte
essentie communis, & consequenter vel generis,
vel differentie, vel prædicabilis anonymi, vel alicui-
us mixti. Vnde quando in conceptu hominis ratio
communis indiuidui, aliaque, quæ passiones entis
dicuntur, formaliter non includuntur, vt sæpe fit,
animusque est hominem prædicare de Petro, tanquā
speciem de indiuiduo, neque in conceptu Petri in-
cluduntur, quod sepe etiam vsu venit. Tunc enim
pro eadem accipimus istas duas propositiones. *Pe-*
trus est homo. Hic homo est homo; constat autem sub-
iectum secundæ dumtaxat addere talitatem, seu dif-
ferentiam indiuidualem vt talem, quam ecceteram
dicunt supra conceptum prædicati. Tantūdemque
propterea contingit subiecto primæ.

233 Aduerto tandem quæcumque in præsentī quæ-
stione diximus perinde in indiuiduis incompletis,
atque in indiuiduis completis suā proportionem fer-
uat locum habere: quia de vtriusque quod ad rem
attinet, eadem philosophia est, in quo non est opus
morari. Et hæc de indiuiduis modō sunt satis. Per-
gamus iam ad reliqua. De naturā namque indiuidui
vagi, de quā multi hic agunt, à nobis hic agendum
non est. Tum quia hoc quod est, concipi vagē, seu
distinctiue non est indiuiduorum propriū, sed
commune etiam vniuersalibus, vt iam notauimus
supra q. 11. Tum quia de conceptibus vagis, seu dis-
tinctiuis in vniuersum satis superque à nobis est
dictum *dispr.* 1. c. Vnde quæcumque de indiuiduo va-
go hic dici possunt facili quæque colliger.

QVÆSTIO XIII.

Quid sit genus, quod simplex, & quale?

Postquā de obiecto vniuersali, & particulari gene-
ratim acceperis in præcedentibus quæstionibus
Pharus Scientiarum, Tom. II.

actum est, de eisdem speciatim sumptis ab hac quæ-
stione incipimus agere. Porro obiectum vniuersale
provt prædicabile q. 7. diuisimus. Primum quidem
in prædicabile essentiale, & prædicabile accidenta-
le. Deinde essentiale in prædicabile generis, prædica-
bile speciei prædicabile differentie, prædicabile ano-
nymum, & prædicabile mixtum. Accidentale verò
in prædicabile accidentis inseparabilis, quod passio
dicitur, eaquē in cōmune, & propriā rursus diuiditur,
& prædicabile accidentis separabilis, quod accidens
venit dicendū, strictius vsurpato hoc vocabulo, simi-
literque rursus diuiditur in commune, & propriū. De
hisce igitur septem obiectis prædicabilibus vniuersa-
libus suo ordine, quo morem logicis geramus, per
tōtidē quæstiones speciatim nobis agendū est. De ob-
iectis namque particularibus, & singularibus nihil re-
stat specialius dicendū præter iam dicta in præcedē-
tibus, & quæ in sequētib. rāgemus. Incipimus autē
in hac quæstione à genere, siue à prædicabili generis,
de quo quærimus; quid sit & quod simplex, & quale?

Et circa primam quidem quæstionis partē, omis-
sitis variis acceptionibus huius nominis *genus*, quæ
apud Calepinum videri possunt. Genus, quod ad rē
attinet, sic definitur à Porphyrio in suā *Isag.* c. 1. *Genus*
est, quod de plurib. differentibus specie in eo quod quid
est prædicatur. Siue, vt exponunt Conimb. ibi, & alij
Genus est, quod de plurib. specie differentibus in qua-
stione, quid est, prædicatur. quasi dicant *essentialiter*
prædicatur. Per quæstionem enim, *quid est*, subiecti
essentia aut totalis, aut partialis inquiritur.

Multi impræsentiarum vexantur in defendendis
hæc, & aliis definitionibus prædicabilium traditis à
Porphyrio, in illisque componendis, & explicandis,
vt sint exactæ, addentes etiam nonnumquam eis
particulas aliquas, quas in suo Autore non habent,
quasi hoc sit defendere Autorem, & non potius eum
tacitè reprobare, quod tales particulas omiserit. Sed
certè non est cur in accommodandis definitionibus
Porphyrii èrpus teramus, in eisquē cum suo Auctore
defēdēdis tantopere solliciti simus. Qui enim in di-
uidendis, recensendisque prædicabilibus adæquatè, &
provt scientia postulat manifestè deceptus est, vt
supra q. 7. demonstrauimus; cur in eisdem exactè, &
provt scientia postulat definiendis non poruit deci-
pi? Imò de facto fuit deceptus haud dubiè: siquidē
definitiones, quas tradidit neque discernunt ab aliis
sua definita, neque illa sufficienter declarant.

In primis enim genus non solum prædicatur in
eo quod quid, seu essentialiter de pluribus differen-
tibus specie, sed etiam de pluribus differentibus
numero. Imò genera superiora etiam prædicantur
de pluribus differentibus genere. Vnde species non
differt à genere per prædicari in eo quod quid de
pluribus differentibus numero, per quod dumtaxat
definit eam Porphyrius c. 2. Nec satis est dicere spe-
ciem prædicari de solis differentibus numero; cum
tamen genus insuper prædicetur de differentibus
specie, aut etiam genere. Primò, quia id Porphyrius
debuisset exprimere. Secundò, quia esso prædicabile
generis, & prædicabile speciei per id inter se distin-
guantur; at ab aliis prædicabilibus non distinguan-
tur. nam prædicabile mixtum tum de pluribus dif-
ferentibus specie, tum de pluribus differentibus nu-
mero prædicatur, in eoque proinde conuenit cum
genere. Anonymū autem, & differentia, quā vniuersa-
lia de solis differentibus numero prædicantur, in
quo cōueniūt cū specie, quæ omnia ex dicēdis pate-
bunt. Deinde per prædicari in eo quod quid seu esse-
ntialiter genus, & species nō distinguūtur à differentia.
Falsū enim est hæc prædicari in quale quid, vt docet
F 2 Porphyrius